





- Index.
1. Chr. Wolff. de necessitate methodi scientificae et genii
no ipsi iuris naturae et pertinere.
 2. Lang. Veritat. Deus est Spiritus.
 3. — de facultatis imaginandi usq; et alijs.
 4. — de rerum omnium idea in Deo necessaria minime
arbitraria
 5. — de notione fulgentie
 6. — Theses in angularibus.
 7. — Rudimenta grammaticae orationis gallici.
 8. — Eloquentiae et speciem oratione linere pone.
 9. — doctrina de Tronis philologij illustris et populosophi
fundata
 10. Corpov. de figuris etate verbis num. proprio et translatio.
 11. Schmerzah. de Opinione
 12. Richter. de Syllogismo ordinario.
 13. Schwarz. de Sensibus & quae Deo libuit (Sensationibus).
 14. Neubauer. de Exercitiis disputandi in ova sciiis
frequenter in filiis fundat.
 15. Richter de Conuersione amissitionum.
 16. Kruger. de Syllogisme
 17. Hollman. de definitiis iustitiae suentiarum phis.
lophicorum terminibus.
 18. Menzius. et Mylius exponunt. Pupillatatem contem-
tissimi Sopliace.
 19. Muller. de Apropositi philosophorum graecorum.
 20. Sidelius. de obligatiōe hominis ad religionem.
 21. Wolfaeth. Controversia de mundo optimo, origine
et progressione malorum in ter Kochleus et dub. Antol.
 22. Borcholdi. Anecdota quantum in moralibus ex-
signis locat argumentari.
 23. Hagen. de expectatione peccatorum questione ra-
tio de eisdem doceat.
 24. Lange. de horum malorum, et bonorum effectibus,
naturalibus et humanis.
 25. Lefins. de legibus ac preciis conuentis ratiob. ingens.
 26. Henriss. Specimen Planetae graphice physicae.
 27. Finch. de Comētis
 28. Lahmias. Iacobus facultatem resedimente con-
ducere hanc in inuere.
 29. Taubner et Blaeknech. de Disciplinae Latine germana-
nico copiis.
 30. Spargelbach. De varietate ingeniorum ratio nephī
topophisae
 31. Reuss. de Logica quodam philosophica
recentioris
 32. Pfeiffer. Renati de Cartes prius logist.
 33. Brenaei. Apollini disq. de eligenda religione
in germania.
 34. Henriss. de expectantia dei corporis affectu
demonstr.
 35. Hartman. de Conting. relat. liberatis requisi-
 36. Venetky. Horum enim ad varian voluntaten con-
ditum est se disp.
 37. Wiel. de notione intellectus divini.

DISSE^TAT^O PHIL^OSOPH^IC^A IN AVGVRALIS 25
DE
BONARVM MALARVMQVE
ACTIONVM
EFFECTIBVS NATVRALIBVS
POST HANC VITAM,

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
DN. IOANNE IOACHIMO LANGIO,
MATHES. PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAES. NAT. CVR.
ET SOC. REG. BORVSS. SCIENTT. SODALI,
AD HONORES PHILOSOPHICOS LEGITIME IMPETRANDOS
DIE APRILIS ANNI MDCCXXX.
HORA LOCOQVE CONSVETIS PVBLICE DEFENDET
AVCTOR RESPONDENS
HERMANNVS IACOBVS LASIVS,
GRYPHISW. POMERAN.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

DILEXIT TATIS PINGUICIA TANQUA VARS

BONARI MAMMUM

MAMMUM

ET HUMERUS NITRATI

OL

DA TOTI TOTI

CONVENTUS VENITIO THYONIO AM QUITA

AD HONORIS STROBICONIUS TERRAMPOS

DN. IOANNI HEDERICIOM TANGIO

AMANTIO GO CO CO CO CO CO CO CO CO

AT CO CO CO CO CO CO CO CO CO CO

AD HONORIS STROBICONIUS TERRAMPOS

DN. IOANNI HEDERICIOM TERRAMPOS

VIRIS
ET DE REPUBLICA LITTERARIA VNIVERSALI,
ET DE SALANA HAC ILLVSTRI EGREGIE MERITIS

VIRO SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,
ATQVE AMPLISSIMO,

DN. IOACHIMO LANGIO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC EIVSDEM PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
CELEBERRIMO, ORDINIS THEOLOGICI SENIORI, ET SEMINARI
THEOLOGICI DIRECTORI.

VIRO SVMME VENERANDO, EXCELLENTISSIMO,
AC CELEBERRIMO,

**DN. SIGISMVNDO IACOBO
BAVMGARTEN,**

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO.

VIRO ILLVSTRI, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO,

**DN. IACOBO GABRIELI
WOLFFIO,**

ICTO CONSUMMATISSIMO, S. R. M. BORVSSIAE A CONSILII AVLICIS,
IVRIVM DOCTORI AC PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
MAXIME CELEBRI.

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
IN SIGNVM OESERVANTIAE SINGVLARIS
DICAT
HERMANNVS IACOBVS LASIVS.

4
VIRIS
ET DE REPLICANDA LIBRARIA UNIVERSITATI
ET DE MAMMIS LIBRARIIS PONENDIS MURIS
OMNIS INSTITUTUS
CUM EMMETTINAE LIBRARIA
TERRA ATELLISIMO

DN. IOACHIMO LVNGIO
AC CLEMENTINO
PRAESES
UNIVERSITATIS
OMNIS INSTITUTUS

DN. GREGORIO TACUBO
PAGARINI
AC CELERI RIBALDO

DN. IACOBUS CONZIUS
TAVARIS INSTITUTUS

DN. IACOBUS GABRIELI
MOTIUS

DN. IACOBUS JACOBUS
HEDDINGEN
OMNIS INSTITUTUS

DN. IACOBUS JACOBUS
HEDDINGEN
OMNIS INSTITUTUS



PRAEFAMEN.



Vis est, qui inficias ire possit, motivum
præceptis a Summo Numine homi-
nibus præscriptis morem gerendi,
haud contemnendum esse, quum ni-
mirum mortalibus repræsentetur,
actiones legibus hisce conformes
æterna præmia secum laturas, pecca-
tores vero perpetuas subituros fore
pœnas. Haud igitur operam atque laborem perdere illi
censendi sunt, qui doctrinæ de statu hominis post hanc
vitam maiorem certitudinis atque distinctionis gradum
conciliare student. Ambabus quidem & ultro concedo, tan-
ta certitudine tamque multis determinationibus in Scriptu-
ra divinitus revelata statum, quem homo præsenti vita amis-
sa subit, describi, ut cognitionem ex ratione revelatione
dicta destituta haustam, multoties supereret. Sed ideo con-
cludere licitum haud est, irritum eos suscipere laborem,
qui veritates hasce argumentis ex ratione sibi relicta pe-

A

titis

titis illustrare satagunt; si enim conclusio rite sese haberet, Theologia naturalis tota quanta est, universumque Ius Naturae inculta manere deberent. Certe, hanc qui formant conclusionem, illis grata sensio, ex cognitione veritatum ex principiis suis ductarum originem trahens, incognita, intellectusque humani perfectio cordi haud esse debet. Si veteres Philosophi lumine rationis rite usi fuissent, tanta ambiguitate ac incertitudine de conditione animæ post mortem locuti non fuissent, SENECA decus alias Philosophorum statum hominis post præsentis vitæ derelictionem tanquam lusum Poetarum, & ut nihil sibi in consolatione ad Marciam haud repræsentasset; recte si rationi aures præbere non deneegasset, alia sane in medium protulisset consolationum genera. En, quantum præbent usum demonstrationes ex rationalibus petitæ principiis; tam late se iste extendit, ut nemo sit in quem derivari non possit, animos enim non minus eorum, qui Christo nomen salutariter dederunt suum, quam veritates revelatas divinaque oracula penitus superhabentium ab errore avertunt, & hos ad veritatem revelatam manu quasi ducunt. Hæ quoque fuere rationes, quare effectus bonarum ac malarum actionum naturales, unione, quæ præfens corpus & animam intercedit, destruxæ, quantum quidem vires permiserunt, ratione duce expонere operam dedi, & quidem rei ipsi intentus, alii quid hac de materia sentiant, operose inquirere, instituti mei rationem habens, lubens superfedi. Quantum veritatis tramiti institerim, quantumve aberaverim ab eo, penes Te B. L. iudicium esto. Quod superest nihil amplius in votis habeo, quam ut conatibus meis licet exiguis faveas.

§. I.

DE BONAR. MALARVMQVE ACT. EFFECT. NATURAL. POST HANC VIT. 3

§. I.

LEx moralis divina, est lex, cui ut actiones hominum liberae accommodentur, vult Deus.

§. II.

Peccatum seu actio mala est actio hominis libera, quae legi morali divinæ conformiter haud est peracta. Actio est bona; si huic legi convenienter est suscepta.

§. III.

Omne, quod Deus ab hominibus peragi cupit, non nisi ad perfectionem illorum veram tendit, (p. L. Theol. nat.); actio bona veram hominis promovet perfectionem, (§. I. & II.)

§. III.

Deus constanter vult, ut homines legem divinam moralē observent, (§. I.) velle igitur nequit, ut eam negligat homo. Quocunque ab hominibus peragi Deus abnuit, id ad horum veram ducit imperfectionem, (p. L. Theol. Nat.); qui ergo peccatum committit, veram sibi contrahit imperfectionem, (§. II.)

§. V.

Bonum morale est, quod nostrum statum perfectiorcm reddit. Malum morale contraria absolvitur notione.

§. VI.

Bonum verum est, quod statui nostro veram contrahit perfectionem. Malum verum, quod ad veram status nostri imperfectionem dicit. Bonum ac malum adparens opposita sunt definienda ratione.

§. VII.

Cum actione bona perfectio vera nexus habet, (§. III.); unde colligi licet, bonum verum cum illa connexum esse, (§. VI.).

§. VIII.

Qui peccatum committit, vere imperfectiorem se reddit, (§. III.) Ergo malum verum dicto in casu sibi comparat, (§. VI.)

§. VIII.

Premium est bonum verum tanquam motivum cum actione bona ad illam suscipiendam connexum.

§. X.

Pena est malum verum tanquam motivum cum actione mala ad illam fugiendam connexum.

§. XI.

Bonum verum, quod ex actione bona consequitur, (§. VII.), tanquam motivum cum actione illa ad hanc suscipiendam connexum est, (p. L. mor.) ; unde constabit de causa, cur praeium nominandum sit, (§. VIII.).

§. XII.

Malum verum, quod ex peccato originem dicit, (§. VIII.). tanquam motivum cum illa actione connexum est, ne patretur, (p. L. mor.); itaque loco poenae cum peccato connexum est, (§. X.)

§. XIII.

Qui malam committit actionem, ille sibi eam, certo saltem respectu, ut bonam repraesentat (p. L. Met.); cum vero malum verum ex actione illa oriatur, (§. VIII.), malum pro bono reputat. Male itaque iudicat; intellectus igitur a vera sua ulterius aberrat perfectione (conf. §. VI.). Qui itaque peccatum committit, imperfectionem in intellectu sibi contrahit novam eamque veram. Cum porro perfectio voluntatis vera in eo conficiat, ut bonum verum adpetat; malum vero vere tale averteret, (p. L. Met.); cumque eius voluntas qui peccatum patrat, malum uerum sub specie boni adpetat, ideoque deficiat a perfectione vera, voluntas eius, qui peccatum committit, vere imperfectior redditur. Hinc sequitur, quod is, qui peccato se se contaminat, in anima veras sibi contrahat imperfections: mala ergo vera, (§. VIII.) ideoque penas, (§. XII.).

§. XIV.

Qui bonam suscipit actionem, ut bonam eam sibi representat, (p. L. Met.); veri nominis vero bona est, & bonum ex ea consequitur verum, (§. II. & VII.). Reete itaque iudicavit;

iudi-

iudicium vero rite formatum cum essentia intellectus consenit, (p. L. Met.); perfectionem ergo veram iste sibi in intellectu comparavit. Voluntas quoque eius hoc in casu bonum veri nominis tale adpetit, ergo essentiæ eius conformiter egit; ille itaque qui bonam suscepit actionem, in voluntate perfectionem veram sibi contraxit. Quare qui legi morali divinæ conformiter egit, bona vera in anima sibi comparavit, (§. VII.), ideoque præmia, (§. XI.).

§. XV.

Voluptas vera in me oritur, si perfectionem veram tanquam meam intueor. Tedium verum in me oritur, si imperfectionem veram tanquam meam intueor.

§. XVI.

Notabilis gradus voluptatis veræ dicitur *gaudium durable*. Insignis vero tædii veri gradus vocatur *tristitia durabilis*.

§. XVII.

Felicitas vera est status perfectionum verarum ex actione bona ortarum. *Infelicitas vera* contra. *Felicitas vera cum conscientia* est status gaudii durabilis. *Infelicitas vera cum conscientia* est status tristitiae durabilis.

§. XVIII.

Qui bonam suscepit actionem, veras sibi contrahit perfectiones, (§. XIII.); plures itaque sibi acquirit perfectiones veras. Quas ut sibi repræsenter necesse est, sunt enim illimotiva; acquirit ergo intuitum plurium suarum perfectionum verarum; voluptas itaque insignis & quidem vera in illo oritur, (§. XV.); felicitas ergo vera, (§. XVII.). Qui igitur bonam suscepit actionem felicitate adficitur vera; & si possibile est, felicitatem hanc sentit.

§. XVIII.

Felicitas vera originem ducit ex perfectionibus veris, quas homo possidet, (§. XV. & XVII.); qui vero peccatum commisit, imperfectiones sibi comparavit veras, (§. III. XIII.); unde constat de causa, cur peccator qua talis felix beatusque dici nequeat.

A 3

§. XX.

§. XX.

In somno morali homo est: qui imperfectiones veras quas per peccatum sibi contraxit, non ut suas intuctur, si tamen potest.

§. XXI.

Peccator est in statu imperfectionum verarum ex peccato ortarum, (§. IIII. XIII.); ideo est vere infelix, (§. XVII.).

§. XXII.

Qui imperfectiones veras per peccatum sibi contraxit, si est posibile, aut eas sibi repræsentat aut minus, (p. princ. exclus. med.). Prius si contingit, infelicitatem veram consequitur cum conscientia (§. XXI. & XVII.), fin posterius; somno sepultus quasi iacet morali, (§. XX.). Exinde colligere licet, peccatorem aut vere infelicem conscientia infelicitatis adnexa, esse, aut in somno versari morali, seu vere infelicem sine conscientia infelicitatis esse, (§. XVII.).

§. XXIII.

Imperfeccio vera consistit in defectu realitatum quæ in ente adesse poterant, (p. L. met.); tolli igitur haud potest, nisi defectus ille tollatur. En causam, cur imperfectiones veri nominis tales ex peccatis orræ ab uno statu usque ad sequentes perdurent, donec defectus illi tollantur.

Non negaverim cum imperfectione positivum quid posse conexum esse, licet formale imperfectionis in defectu realitatum consistat. Sed dilucidius hoc iam exponere, meum non est.

§. XXIV.

Anima est substantia simplex, ergo est vis (p. L. met.), itaque semper agit. Si vero homo peccatis fæse commaculavit, anima veris est onerata imperfectionibus (§. XIII.); vis itaque imperfectionibus veris laborat; actiones ergo animæ ut vere imperfectæ sint aliter cogitari nequit; quale enim principium tale principiatum. Actiones vero animæ nihil aliud sunt quam vis actus exerens (p. L. met.); anima ideo de novo imperfectionibus oneratur veris. Cum vero anima peccatis commissis agit, novus in illa oritur status, vi facile ex definitione status colligi potest. Si vero priores imper-

imperfectiones non emendentur, non minus permanent, (§. præced.); in statu itaque post peccatum quoddam commissum sequenti, priores manent, novæque adduntur imperfectiones veræ. Sed nihilominus manet anima substantia ac vis, ergo iterum ager, iterum itaque novus in anima producitur status; sed actio hæc magis erit imperfecta priori, etenim ex ratione ortur magis imperfecta. Si vero pristinæ imperfectiones non corrigantur, haec quoque in anima perdurant, (§. XXIII.); hicce ideo status iterum magis imperfectus erit priori, & sic porro. Nullus vero status animæ cogitari potest, in quo vim suam non exserat, (p. L. met.), ergo in quo non agat. In omni itaque animæ statu post peccatum quoddam commissum si pristinæ imperfectiones non emendentur, manent, novæque adduntur imperfectiones veræ.

§. XXV.

Res est in tempore: si varia eius sese excipiunt. Momentum est duratio unius ex variis illis, quod vero non est in tempore.

§. XXVI.

Quodlibet rei varium quod efficit, ut res sit in tempore, rei constituit statum, (p. L. met.). In momento itaque quolibet deprehenditur rei status novus, (§. præc.).

§. XXVII.

Homo quoad animam est in tempore, (p. L. met.); in quolibet itaque momento novus animæ deprehenditur status, (§. præc.). Si ergo homo in statu quoddam peccatum commisit, & si imperfectiones veræ ex illo quoad animam ortæ non emendentur, manent in sequenti momento, novasque progignunt; & si iterum non corrigantur, in hunc excipiente perdurant momento, novasque producunt, & sic porro, (§. XXIII.).

§. XXVIII.

Si itaque anima in æternum perduret, & conditio quoque manet eadem, quod nempe emendatio imperfectionum verarum haud fiat, in omne ævum imperfectiones haec manent,

uent, & novas producunt, (§. præc.). Anima vero in æternum existentiam continuabit suam, (p. L. Theol. nat.); si igitur imperfectiones illæ nunquam corrigantur, in omne ævum perdurant, & semper novæ ex illis oriuntur imperfectiones veræ.

Et si existentiam hominis æternam tantum animæ tribuerim, noli putare, me resurrectionem corporum negare. Firmissime hac de re auctoritate S. Scripturæ persuasi sum. Sed, cum argumenta quæ pro resurrectione corporum ex ratione sibi relata petita firma & apodictica hæc tenus inventa mihi non videantur: existimo, scopo meo abunde satisfieri, si vel solam existentiam animæ in perpetuum duraturam fundamenti loco præstruxero. Scio quidem nonnullos e gente Philosophorum extitisse, qui rationibus philosophicis hanc thesin probare allaborarunt. Sed quod pace illorum dixerim, rigorem demonstrationis sultinere haud videntur demonstrationes ab illis allatae. Ne vero aliquid sine ratione adserere videar, primarium huius rei argumentum sub examen vocabo. Dicunt nimis adfertores: Hominem confitare ex duabus partibus existentiam eius constituentibus, anima videlicet ac corpore. Hinc concludunt, quod actiones hominis, ad quas tam anima quam corpus concurrit, non uni parti hominis tantum attribuendæ sint, sed utrisque, seu toti homini, ideoque etiam corpori ut adtribuantur necessæ sit. Porro, quum actiones & bona & mala ad hanc classem referri debere putant, adfirmare nulli dubitant, quin actiones tam bona quam peccata corpori quoque adscribi debeant. Viterius argumentantur ac adstruunt: Deum bonas actiones velle, peccata vero adversari, ideoque quatenus horum ratio ex corpore petenda sit humano, Deum actiones bonas velle, malas vero averfari. Pergunt: Deum gaudere iustitia & remuneratoria & vindicativa, eumque vi prioris iustitia bonis adficere eos qui voluntati eius sanctissimæ conformes se gesserunt, seu bonas suscepereunt actiones, propter posteriorem vero quæ est vindicativa, peccatis conquinatos punire; ideoque adfirmant: Deum in utrisque his casibus sicuti præmia ita etiam poenas diversis licet in casibus tribuere corporibus. Ad experientiam denique provocant, dicentes: Experientiam neminem non docere, quod muliti existant, etiam extiterint, qui voluntati divinae fatis facere serio alla-

EFFECTIBVS NATVRALIBVS POST HANC VITAM.

allaborant & allaborarunt, quorum tamen corpora præsenti in vitæ curriculo circumdata sunt ac fuerunt multis miseris calamitatibusque, bona autem grataque, si nulla non, vix tamen notabilia acceperunt; quod cum Deus vi iustitiae sue remuneratoria permittere nequeat, ultro sequi contendunt, quod in futura vita id illis contingat, & quidem fieri hoc haud posse autumant, nisi corpora piorum resurgent, extra omnē itaque dubium postum est secundum eorum quidem sententiam, quod corpora piorum, quibus hac in vita nihil boni a Deo collatum, sed qui potius calamitatis iugo semper pressi fuerunt, propter iustitiam remuneratoriam divinam resurgent. Tandem hoc quoque urgent, quod experientia iterum testetur, multos existere & adfuisse peccatores, qui durante huius vittæ studio in possessione quasi bonorum fuerunt ac sunt, tantumque abesse, ut poenas unquam sensissent, ut potius voluptatum, quas perceperant, cursus ab ulla molestia nunquam fuisset interruptus, quomodo vero hoc cum iustitia Dei, de qua iam locuti sumus, vindicativa conciliari possit, plane non vident, nisi dicamus, tales malarum actionum suarum consecataria, quibus dignos se esse reddidere, altera in vita etiam quod ad corpora fore laturos, hoc autem, cum resurrectionem corporum eorum præsupponat, putant, rationem utique docere, quod Deus corpora impiorum, quæ poenas hoc in vitæ curriculo non subierunt, in vita iterum sit restituturus. Verum enim vero quin ratio sibi relicta hæc adducta argumenta pro invictis reputet, longe abest, licet quandam probabilitatis speciem illis haud deneguerim. Nam 1) demonstratio hæc tantum est particularis, & ad omnes homines adiplicari nequit. 2) Negatur, actiones bonas & malas per animam & corpus simul præstari; qua quidem negatione fundata, demonstratio hæc tota quanta est, pro nulla est reputanda; in eo autem fundamentum ea invenit, quoniam quum actiones bonæ legi divinae morali conformes factæ, male vero ab eadem inconvenientes esse debeant, ideoque actiones libere tantum bona malæ esse possint (§. I.), actiones corporis proprie loquendo bonitate & pravitate expertes esse in aprico erit. 3) Adiplicatio iustitiae remuneratoria & vindicativa ad corpus non quadrat, præsupponit enim in obiecto imputabilitatem, (ut sic loquar), quæ corporis prædicatum esse nequit.

B

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Imperfectiones veræ ex peccatis hominum ortæ pœnærum loco sunt (§. VI. XII.); si igitur imperfectiones illæ non emendentur, pœnae in omne ævum perdurant, & semper novas producunt, (§. præc.).

§. XXX.

Emendationem imperfectionum in intellectu & voluntate obviarum naturaliter imprimis anima ipsa, (si alias suscipi debeat), ut præstet necesse est, (p.L. mor.); ergo imperfectiones veræ per peccata in anima ortæ naturaliter præcipue ope animæ corrigi debent, si alias correctio fieri debeat, (§. XIII.). Si igitur ostendi possit, animam se ipsam ab omnibus imperfectionibus per peccata in anima natis liberare haud posse, sequitur, imperfectiones ex peccatis in anima ortas naturali modo tolli non posse; ergo quoque pœnas naturaliter in anima in omne ævum perduraturas esse, (§. præc.).

§. XXXI.

Ponamus in anima imperfectionem quandam veram ex peccato ortam adesse. Cum ad omnem hominis actionem tempus requiratur, (p.L. met.), sequitur, ad emendationem huius imperfectionis ab anima præstandam tempus requiri; ergo minimum duo hac actione consumet momenta (§. XXV.). Cum prius momentum iam desit esse, imperfectio hæc non est emendata, (p. antec.), in sequenti igitur momento adhuc adest, & nova quoque est orta, (§. XXVII.). Secundo momento finito prior imperfectio quidem est emendata, sed nova iam adest, (p. antec.), ad illam itaque tollendam iterum duo requiruntur momenta; etiam hæc imperfectio priori momento non est sublata, ergo adhuc in posteriori adest, & iterum nova praefens est, (§. XXVII.), hoc quidem momento præterlapsa prior tollitur imperfectio, sed nova iam adest. Cum hac, (uti facile ex antecedentibus colligitur,) eadem comparatum est ratione. In posteriori igitur momento cessabit quidem, sed nova locum eius occupabit; & sic porro. Ex his igitur perspici potest, quod si quoque unica tantum in anima adesset imperfectio vera per peccatum quoddam orta, anima tamē

tamen se ipsam in omne ævum ab imperfectionibus ex hac ortis naturaliter liberare haud possit. Quid vero fieret, si plures adessent imperfectiones? Imperfectiones ideo veræ per peccata in anima ortæ naturali modo tolli non possunt, & pœnæ naturaliter in omne æternum perdurabunt, (§. XXX.)

§. XXXII.

Si homo ultimo in virâ huius articulo imperfectionibus ex peccatis natis est commaculatus, in omne ævum, si res confideretur uti naturali fieri debeat modo, iste perdurabunt, nec pœnæ unquam cessabunt, (§. XXXI.). Nunc eas accuratius consideremus, ac videamus in quonam imperfectiones veræ peccata fecutæ, que post hanc vitam adhuc in anima peccatoris obtinent, confistant. Qui peccatum commisit, & imperfectiones veras sibi contraxit, aut vere infelix est cum sensu infelicitatis, aut in somno iacet morali, (§. XXXII.); ergo quoque ille qui in ultimo viræ præsentis momento imperfectionibus veris ex peccatis consecutis est oneratus, aut vera adfectus est infelicitate cum conscientia huius rei coniuncta, aut somno sopitus est morali. Primo loco videbimus, in quonam imperfectiones veræ vere infelici peccatoris, qui quoque infelicitatem hancce sentit, post præsentem vitam confstant.

§. XXXIII.

Naturaliter una imperfectio vera ex peccato orta producit alteram in omne ævum usque, (§. XXXI.). Si homo itaque propter peccata vere infelix existat, & quoque sibi conscientia est huius infelicitatis, ex hac infelicitate vera, (si res concipiatur uti nexus actionum animæ naturalis postulat, (§. XXIII.); in æternum usque novæ infelicitates eiusdem generis veri nominis tales originem ducunt. Si itaque homo peccator in ultimo viræ huius halitu veram suam infelicitatem sibi conscientia est, in secula novas sentiet infelicitates veras. In aeternum igitur vera talis peccator adscieret infelicitate, & ab una infelicitate vere tali transibit ad alteram, & quoque illas sentiet.

Peccatorem talem altera in vita iam existentem somno morali obrui non posse, facile ex §. subsequenti ab hac independenti colligi potest.

§. XXXIII.

Nunc conditionem peccatoris futuram perlustremus, qui in supremo vita praesentis articulo somno sopitus est morali. Qui in somno iacet morali, ille imperfectiones veras ex peccatis ortas ut tales sibi haud representat, (§. XX.), & hoc contingit propter gratas sensationes cum peccatis coniunctas, (p. L. mor.). Omnis vero sensatio oritur a corpore cum anima unito, & sensatio obtineri nequit, nisi corpus hoc praesens sit, (p. L. met.). Si ergo vinculum corporis & animae dissolvatur, sensationes haec quoque ut cessent, necessarium est. Cum vero homo supremum obiit diem, unio quae corpus ac animam intercessit, disrumpitur; sensationes ideo haec ut desinant esse necesse est. Cessat itaque tunc ratio somni moralis, igitur ille adesse amplius nequit. Falsum itaque est, peccatorem post mortem imperfectiones veri nominis tales ex peccatis consecutas non ut tales sibi representare; ut tales igitur ut sibi representaret, cogitari debet. Si vero hoc, vere infelix cum conscientia infelicitatis coniuncta censendus est, (§. XXI.). Novis ideo infelicitatibus veris in secula, (si res consideretur, ut nexus naturalis mutationum animae postulat,) adfligetur, (§. XXXI.). Peccator itaque in ultimo vire huius halitus five sit iam vere infelix cum sensu suae infelicitatis, (§. XXXIII.) siue in somno versetur morali, post praesentem vitam in eternum semper infelicitatibus adficietur veris, & ab una infelicitate vera transibit ad alteram.

Obiicere quis posset, me presupponere, animam peccatoris post mortem omni corpore destitutam fore, ideoque si anima peccatori cum corpore quodam etiam post hanc vitam unita esset, demonstrationem a me adduciam pro vera reputandam haud esse. Sed admissa quoque hac sententia, nihilominus thesis mea fundamento haud destituetur suo. Nam adfertores huius sententiae nichil concedent, vinculum inter praesens corpus & animam per mortem dissolutum, animam vero subtiliori corpore circumdatam fore; minimum igitur sensationes per crassum corpus in anima ortae qua tales cessa-
bunt, si ergo talis peccator in somno maneat morali, hoc ope novi & subtilioris corporis fieret; hoc vero fieri haud posse, sed vere infelicitates

lices peccatores post hanc vitam esse, & quoque has infelicitates sentire, non obstante novo illo corpore, ostendit *Cel. CANZIUS in Civitate Dei* §. 131.; utroque ideo in casu anima peccatoris in statu somni moralis haud manebit.

§. XXXV.

Homo est in statu damnationis: Si post praesentem vitam ab una infelicitate vera ad alteram transit, easque sentit.

§. XXXVI.

Homo, qui in supremo vita praesentis halitu imperfectionibus veris ex peccatis natus est oneratus, si nexus actionum animae naturalis non interruptus maneat, in secula ab una transit infelicitate veri nominis tali ad alteram, earumque sibi conscientis est, (§. XXXIII.); hicce ideo homo, in aeternum in statu damnationis manebit, (§. praececd.).

An Deus miseris illos ex statu hocce lacrymis digno miraculo liberare velit, definire hac vice mihi haud convenit. Scopus enim meus hac in dissertatione tantum est, eventus actionum & bonarum & malorum naturales praesenti peracta vita determinare. Deum vero miraculo peccatores hosce ex statu damnationis eripere haud velle, per Scripturam S. certissimi reddimur. Qui rationes ex Philosophia petitas legere desiderat, adeat *Cel. CANZIUS Civitatem Dei* §. 919. Et Multos adesse notum est, qui omnibus conatus id egerunt, ut sententiam hanc tam firmiter in Scriptura revelata fundatam non modo labefactarent, sed penitus deicierent; inter illos haud insimum tener locum *THOM. BVRNETIVS, Anglus*, qui in *tratatu suo de statu mortuorum & resurgentium* pag. m. 328. Et multis argumentis fuso haud desituisse hanc defendere sententiam annis est. Sed illa iam refellere, instituti mei ratio haud permittit.

Etsi mentionem de poenis per arbitrium Dei ad infernum damnatis infligendis haud fecerim, ne putes, obsecro, me de illarum existentia dubium habere. Ratio, qua permotus has silentio præterii, hac est, quia naturalis nexus inter peccata & illas poenas a ratione sibi relicta distinete ostendi nequit. Eadem ex ratione in questionibus, que communiter ab eruditis circa orcum formari solent, decidendis multus haud ero; e.g. an etiam corpora damnatorum poenis affligentur, vel an cruciatus animam solitmodo respicient? num locunt a sede beatorum remotum occupabunt? & si hoc;

in quanam mundi parte locus ille horrendus quærendus sit? Circa ultimam questionem communis sententia imprimis Patrum primitiva ecclæsiae eo redit; locum inferni in centro terre deprehendi; sed insuperabiles, uti mihi quidem videtur, contra hanc sententiam movit difficultates THOM. BVRNETIVS l.c. pag.m.303. &c. SWINDENVIS, Anglus infernum in solem collocavit, in libro, cui in Gallica versione sequens est praefixus titulus: *Recherches sur la nature du feu de l'enfer, & du lieu, ou il est situé, à Amsterd. 1727. 8.* Multo minus operam dabo, ut in numerum damnatorum, & amplitudinem loci inferalis inquirerem, uti DREXELIVS fecit, qui numerum illorum ad centena millia millionum extendit; infernum vero in spatio milliarii Germanici inclusit; vid. eius *tractatus de damnatorum carcere & rogo, Part. II. C. VIII.*

§. XXXVII.

Una imperfætio vera maior esse potest altera, (p. L. met.), minor itaque pro parte maioris reputari potest, (p. def.). Homines vero in articulo mortis imperfectionibus veris ex peccatis ortis onerati in futura vita infelicitatibus veris ex imperfectionibus hisce consecutis adficiuntur, (§. XXXIII.); infelicitas autem ex imperfectione minori nata minor ut sit necesse est illa ex maiori imperfectione orta, (quod enim ex toto ortum suum trahit, maius esse debet ac illud quod ex parte originem ducit); ex maiori & minori infelicitate novæ oriuntur, (§. XXXIII.); ex eadem ideo ratione infelicitas ex maiori orta maior iterum est altera ex infelicitate minori nata, & cum naturaliter in omne ævum infelicitates novæ oriuntur, (§. cit.), uti facile ex antecedentibus colligitur, cum his eadem comparatum est ratione. Homo igitur in momento mortis maiori imperfectione vera ex peccato orta commaculatus, in æternum usque maioribus infelicitatibus affligetur, illo peccatore in supremo vitae praesentis halitu minori imperfectione affecto, si nimirum nexus actionum animæ naturalis non interrupsus maneat. Perfecta vero æqualitas dari nequit, (p. princ. indiscern.), ergo una imperfætio vera, qua peccator in momento mortis constitutus est adfectus, semper maior vel minor esse deber aliis imperfectionibus quibus cæteri peccatores in articulo mortis sunt onerati. Omnes itaque infelicitates

infernales in peccatoribus conspicuae ratione quantitatis differre debent.

Hæc sunt benevole lector, quæ duce ratione sibi relicta de statu damnatorum, pœnisque infernalibus suppeditare volui. Lubens fateor valde esse indeterminata, quæ hac de re differui, sed non est quod tibi persuadeas: me nihil aliud de conditione damnatorum credere, ac quod his paginis publici iuris fecerim; obtestor Deum me omnia quæ sacris in literis hac de re clare sunt proposita ac revelata pro veris habere, religionique mihi ducere, ullum ex his in dubium vocare. In sequentibus tentabo, quo usque rationi veritatis libus revelatis orbata in offenso pede in doctrina de vita beatorum progredi liceat. Sed iterum Deum testem invoco, me omnia in S. Scriptura salutariter hac de materia literis demandata sancta colere religione & fide.

§. XXXVIII.

Qui bonas suscipit actiones, ille veras sibi conciliat perfectiones & veram felicitatem, eamque sentit si est in statu clarorum idealium (§. III. XVIII.); quamdiu itaque observator legis divinæ moralis manet, tamdiu perfectiones veræ & felicitas veri nominis talis in illo perdurant. Si igitur in statu quodam homo bonas egerit actiones, & in sequenti talis manet, in sequenti statu perfectiones & felicitates veri nominis tales in statu præcedenti acquisiitæ perdurant, easque si possibile est, sentiet.

§. XXXVIII.

Si homo in statu præcedenti fuerit observator legis divinæ moralis, & in sequenti talis maneat, quoque in hoc statu novis perfectionibus & felicitate vera adficietur, (§. III. XVIII.), & pristinæ quoque existentiam continuabunt, (§. præced.), cum hunc excipiente statu, (si conditio maneat eadem,) eodem comparatum est modo, ut facile ex antecedentibus concludi potest; & sic in æternum usque, stante nimisimum eadem conditione; homo enim quoad animam minimum immortalis est, (p. L. Theol. natur.)

§. XXXX.

Perfectiones veræ ex bonis actionibus ortæ sunt præmium loco, (§. XI.); præmia igitur in homine qui semper tan-

tranquam obseruator legis divinæ moralis extitit, in æternum usque multiplicabuntur, (§. præced.)

§. XXXI.

Homo in ultimo vitæ huius articulo constitutus leges di-
vinas morales in vita anteacta vel semper observavit, vel mi-
nus, (p. princip. exclus. med.). Sin ultimum; vel in mor-
tis momento imperfectiones veræ per peccata sibi contraactæ
sunt ita emendare, & quidem miraculo, ut homini in at-
ternum infelicem reddere nequeant; vel hoc non contigit,
(p. princip. exclus. med. & §. XXXI.). De postremo mem-
bro in antecedentibus iam actum est. De conditione igitur
hominis adhuc agendum, qui vel in momento mortis tan-
quam perpetuus obseruator legis diuinæ moralis secundum
singula vitæ anteacta momenta existit; vel cuius imperfe-
ctiones veræ per peccata sibi contraactæ cum in articulo ver-
setur mortis miraculo sunt deleteæ.

Etsi ratio sibi reliet actualitatem huius miraculi ignoret, possi-
bilitatem tamen eius agnoscit. In malam ergo mihi haud verti potest
partem, quod duce ratione veritatibus divinitus revelatis destituta
conditionem hominis, cui miraculum hocce salutariter contigit, de-
terminare ausus sim; omnes enim conditions hominis in momento
mortis constituti possibles determinare mihi proposui. Unicum ad-
huc habeo, quod ut notes peto, mens mea eo non reddit, ac si mi-
raculum hocce in momento mortis ut patretur necessarium sit; satis
enim esse duco, si miraculum quoddam ante editum cum effetu
huic homini adplicetur, manet enim utroque in casu emendatio illa
imperfectionum miraculosa.

§. XXXII.

Deus ferio vult, ut homines peccata fugiant, (§. I. & II.). Sapientia ideo divinæ haud convenient imperfectiones veras
per peccata in peccatore ortas miraculo delere, cum pecca-
tor firmum haud ceperit animum peccata fugere. Pecca-
toris ergo in ultimo vitæ huius articulo constituti imperfe-
ctiones veras per peccata sibi contraactas Deus miraculo haud
corriget, nisi ferio sibi proposuerit legi divinæ morali con-
formiter agendi. Quod vero homo in ultimo vitæ momen-
to

to positus, qui vero semper legi divinæ morali actiones suas accommodavit, animum firmum peccata detestandi habear, per se patet. In utroque ergo casu tales homines diem obeunt supremum, ut desiderium habentes legi divinæ morali convenienter agendi.

§. XXXIII.

Quod homines consilium legi divinæ morali conuenienter agendi mutent, gratae sensationes cum peccatis connexæ efficiunt, (p. L. moral.); sensationes vero sine corpore nostro adesse nequeunt, (p. L. met.). Si vero unio inter corpus nostrum praesens ac animam destruatur, anima vel novo corpore vestietur; vel nuda manebit, (p. princip. exclus. med.); si ultimum; sensationes in anima amplius adesse nequeunt; homines ergo qui in ultimo versantur vita huius momento, & ceperunt serium consilium legibus Dei satisfaciendi, illud haud mutabunt. Si vero prius locum haberet; quoque consilium istud virtuosi moribundi haud mutabunt; probationem dedit insignis Philosophus CANZIUS in *Civit. Dei* f. 1730., ad quam benevolum Lectorem compendii causa remitto. Semper igitur secundum singula momenta observatores legis divinæ moralis manebunt usque in secula.

Facile concedo, possibilitatem consilium suum mutandi piis hinc adhuc competere; manent enim creature liberae. Sed actualis mutatio de illis negari debet; motiva enim ac illecebra ad peccata in futura vita remota erunt.

§. XXXIV.

Cum ens rationale finitum in bono confirmatum vocetur, si in posterum non peccabit, (p. def.). Homines pie defuncti in bono confirmati sint: (§. præced.)

§. XXXV.

Ergo novis perfectionibus veris & felicitatibus veri nominis talibus in æternum adficiuntur, & pristinæ quoque manebunt, (§. XXXVIII.); ex uno igitur felicitatis veræ gradu adficiunt ad alterum in infinitum usque.

C

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Intellectus itaque & voluntas illorum in æternum perficiuntur, (§. XIII. & XXXV.)

§. XXXVII.

Homo in vita degit beata: Si post præsentem vitam ab uno felicitatis gradu ad alterum adscendit in omne ævum.

§. XXXVIII.

Homines qui cum sincero proposito peccata detestandi vitam præsentem deseruerunt, ex uno felicitatis veræ gradu ad alterum adscendunt usque in secula, (§. XXXV). ergo vita fruuntur beata, (§. præced.)

§. XXXIX.

In vita igitur beata intellectus & voluntates horum defunctorum in omne ævum usque novis adficiuntur perfectiōibus veris, (§. XXXVI.).

Exinde colligi licet, beatos in non interrumpo nexo maiorem ratione distinctæ & adequatæ cognitionis atque rectæ voluntatis, & inde oriundæ gratae perceptionis perfectionis gradum acquisituros fore. Cum vero status sit minimum respectivus, si in homine gradus oriatur haud infimæ intentionis, sine permeatis, ut ita loquar, gradibus interioracentibus; ratio quoque miraculi huius ostendi haud possit, male verti nequit, si existimem, beatos ab uno beatitatis gradu ad illum hunc immediate excipientem progressuros fore. Stante vero hac sententia, facile ad intelligendum erit, quod illis, qui hoc in vita curriculo emendationi intellectus & voluntatis operam dederunt, partes priores concedi debeant.

§. L.

Quod homines cum firme proposito peccata detestandi animam deponentes post præsentem vitam perfectionibus veris ac felicitate veri nominis tali usque in æternum adficiuntur, præmiorum loco illis est, (§. XXX.); ergo quoque vita in qua degunt beata præmium vocandum est: (§. XXXVII. & XXXVIII.)

§. LI.

Meritum est, opera quam quis alteri præstat, ad quam vero ex lege ab altero cogi nequit. Præmium quod merenti

tri-

tribuitur, dicitur *meritum strictissimo sensu*. Si mercedem lex poscit, adest *meritum strictissimo sensu*. Vero gratus animus, non vero lex mercedem exigit, *meritum latiori sensu* adesse censendum est.

§. LII.

Quocunque Deus ab hominibus præstari cupit, ad illud ab eo cogi queunt, (p. L. mor.); bonas vero actiones Deus cupit, ut homines suscipiant, (§. LII.). Bona ideo actiones in meritorum numerum haud sunt referendæ, (§. præced.). Quatenus ergo homines bonas suscipiunt actiones, haud sunt merentes aliquid.

§. LIII.

Præmium quod non tribuitur merenti, merces haud dici potest, (§. LI.). Vita autem beata est præmium quod beatis propter bonas actiones tribuitur, (§. L.). Sed eatenus haud sunt merentes, (§. LII.). Vita igitur beata pro mercede reputari nequit; ideoque neque in strictiori neque latiori sensu, (§. LI.).

§. LIII.

Ex gratia præmium cuidam tribuitur: Si præmium illi tribuitur, quod tanquam mercedem postulare non poterat.

§. LV.

Vira beata beatis loco præmii tribuitur, (§. L.); tanquam mercedem vero a Deo illam exigere haud possunt, (§. LIII.), ergo sequitur, ex gratia condonari, (§. LIII.).

His ultimis §§is falsitas dubii cuiusdam specie veritatis haud destituti a Socinianis contra systema nostrum de redēctione a peccatis prolati, ostendi facile potest. R V A R V S dubium hocce sequentem in modum exposuit in epistola quadam, quæ exstat in *epistolā Ruari centuria prima, Amstelod. 1677. edita;* „At si Christus ea ratione quam vos commenti estis, plenisime pro nobis satisfecit, nullus est gratiæ, nullus peccatorum remissioni locus. Ut ut enim nihil Deo nos solverimus, tolvit tamen nostro loco Christus, imo nos per illum satis superque; nec Deus, qui suum integre recepit, de remissione debiti gloriari poterit. Vides quam iniuria sit vestra de Christi satisfactiōne sententiā in gratiam divinam, quamque male ea cum remissione peccatorum gratuita, quæ cum alibi sepiissime,

„tum in his ipsis Pauli dictis, (ante vero sermo fuerat de locis Ephes. 1, 7. & Coloss. 1, 14. institutus.) a te citatis tantopere prædicatur, simul constat; At si dicas ut nos quidem sentimus, Deum ut ut statuerat ex mera nobis gratia peccata nostra remittere, vitamque æternam donare, voluisse deducenda ad rem benevolæ sua voluntati intervenire administrum atque executorem Iesum Christum Filium suum unigenitum, cuius obedientia usque ad mortem id benigne indulserit, ut non modo ipsem per eam, sed & nos cum illo ad immortalitatem perveniremus, quo nomine & caput illum nostrum fecerit, simulque id imperium atque robur ei contulerit, quo membra sua ab omnibus malis afferere, & in æternum beare possit; hoc inquam si nobiscum dicas, omnia plana atque liquida erunt. Nam & gratia divine suum constabit honos, tanquam causæ beatitatis nostræ principali, quæ nullo iam merito proprie dicto destruetur, aut obsecrabitur. Et mors Christi nihilominus agnosceretur causa salutis nostræ intermedia atque ministra, ut per quam divina gratia minus amplissimum in nos derivatur atque confertur., Hac ratione adversarius argutus operam dedit, ut sententiam a nobis receptam destrueret, suamque in locum eius surrogaret. Sed cum vita æterna nobis semper ex gratia conceditur, nobis quoque pro quorum peccata Christus fecit quod satis est, vita beata tanquam donum gratuitum a Deo conceditur. Eadem comparatum est ratione cum ipsa peccatorum remissione per Christum nobis comparata. Ut mercedem enim eandem postulare non possumus, ut facile ex §. LI. colligi potest; præmii vero loco illis conceditur qui in fide perseverant, remissio ergo peccatorum ex mera gratia divina peccatoribus conceditur, (§. LIII.).

§. LVI.

Coronidis loco non possum non, quin mentionem proportionis inter perfectiones veras ex bonis actionibus beatorum originem ducentes iniiciam. In statu hominis in vita beata degensis primo due minimum adsunt perfectiones veræ, (§. XIII.). Ex his in statu sequenti duæ oriuntur, & priores quoque remanent, (§. XXXVIII.) iam itaque adsunt IV. perfectiones veri nominis tales; et sic porro.

In

In hunc ergo excipiente statu adsunt VIII. perfectiones veræ. In III. statu XVI. præsentes sunt. In quinto, XXXII. deprehenduntur perfectiones veræ. Ex his itaque videre licet, status in proportione arithmeticæ, perfectiones vero in geometriæ se excipere ratione. Series ideo statuum beatorum pro logarithmis seriei perfectionum habenda est. Eadem ratione res est cum infelicitatibus & imperfectionibus damnatorum comparata.

§. LVII.

Hic habes benevolè Lector, quæ prælucente ratione sibi relicta de vita æternâ tradere volui; Multa adhuc possent addi, quæ iam sicco, ut aiunt prætereo pede, quia ex firmis rationibus certi quid determinare haud potui. An e.g. beati locum occupabunt sepulcrum? an sepulcro hocce corpore novo statim vestientur? & si hoc; quibus qualitatibus prædictum erit? qua lingua utentur, an peculiari, vel illa quam hac in vita addidicerunt? & quæ sunt reliqua. Si quoque res accurate consideretur, parum interest, an ad quæstiones hæc respondere possimus an minus; essentiam enim vitæ beatæ non concernunt. Satis est, si illud quod in antecedentibus a nobis de vita hac beata est proclarum, una cum veritatibus quas

Scriptura sacra hac de re parefecit veritatum
in numerum referamus.

F I N I S.

COR-

CORROLARIA.

I.

Non omne possibile potest existere.

II.

Quodlibet ens simplex potest in aliud ens simplex
agere.

III.

Ens simplex potest quoque in corpus agere & vice
versa.

III.

Systema influxus physici nihil absurdii continet.

V.

Definitio hominis quod nempe sit animal rationale,
pro accurate formata habenda haud est.

VI.

Regnum quodlibet quod ab nullo alio dependere vi-
detur, pro provincia regni cuiusdam est habendum.



COR


01 A 6594



SB

R





DISSE^TAT^O PHIL^OSOPH^IC^A IN AVGVRALIS
DE
**BONARVM MALARVMQVE
ACTIONVM
EFFECTIBVS NATVRALIBVS
POST HANC VITAM,**

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
DN. IOANNE IOACHIMO LANGIO,
MATHE^S. PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAES. NAT. CVR.
ET SOC. REG. BORVSS. SCIENTT. SODALI,
AD HONORES PHILOSOPHICOS LEGITIME IMPETRANDOS
DIE APRILIS ANNI MDCCXXXX.
HORA LOGOQVE CONSVETIS PVBLICE DEFENDET
AVCTOR RESPONDENS
HERMANNVS IACOBVS LASIVS,
GRYPHISW. POMERAN.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.